

IN DIE SANCTO PENTECOSTES

HYMNUS.

Jam Christus astra ascenderat

J AM Christus astra ascende- rat, regressus unde vé-ne-rat, promi-so Pa- tris mú-ne-re,
Sanctum da-tú-rus Spí- ri- tum. *In fine* : Amen

2 *Sollémnis surgébat dies,
quo mýstico septémplici
orbis volútus sépties
signat beáta témpora.*

3 *Cum hora cunctis tértia
repénte mundus íntonat:
Apóstolis orántibus,
Deum venísse núntians.*

4 *De Patris ergo lúmine
decórus ignis almus est,
qui fida Christi péctora
calóre Verbi cómpleat.*

5 *Impléta gaudent víscera
affláta sancto lúmine:
voces dívèrsae cónsonant,
fantur Dei magnália.*

6 *Ex omni gente cógitur
Græcus, Latínus, Bárbarus:
cunctísque admirántibus,
linguis loquúntur ómnium.*

7 *Iudaéa tunc incrédula,
vesána torvo spírítu,
madére musto sóbrios
alúmnos Christi cóncrepat.*

8 *Sed, signis et virtútibus,
occurrít et docet Petrus,
falsa profári pérfidus,
Ioéle teste, cómprobans.*

9 *Deo Patri sit glória
et Filio, qui a mórtuis
surréxit, ac Paráclito
in saéculorum saécula.
Amen.*